

Zeitschrift: Divus Thomas
Band: 1 (1923)

Artikel: Pro tutela doctrinae Sancti Thomae Aquinatis de influxu Causae Primae in causas secundas
Autor: Martin, Raymundus M.
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-762818>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 04.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Pro tutela doctrinae
Sancti Thomae Aquinatis de influxu
Causae Primae in causas secundas.

Scripsit P. Mag. Raymundus M. MARTIN O. P., Lovanii.

In codice manuscripto 717 bibliothecae municipalis Trecensis legitur a folio 93^{ra} ad folium 101^{ra} *Quaestio disputata* quae sic incipit : *Queritur utrum voluntas humana moveat seipsam ad actum volendi.* Quaestionem hanc disputatam exhibet quoque codex Vaticanus Ottonianus 1126 a folio 28^{ra}. Viri scholasticarum litterarum periti, uti P. Fr. Ehrle, S. J., nunc iam Ecclesiae Romanae eminentissimus Cardinalis, et P. Fr. Pelster, S. J., censent huius Quaestionis auctorem esse magistrum Thomam de Sutton, O. P., qui floruit Oxoniae, saeculo labente tertio decimo.¹ Non possumus quin Reverendo Patri Pelster animo sincero gratulemur de eruditissima dissertatione quam de scriptis, de doctrina et methodo scribendi Thomae de Sutton nuper exaravit. Ast vero quod minus placet, est haec ipsa conclusio quam de motivis humanae voluntatis R. P. Pelster e praefata Quaestione disputata eruit. Arbitratus est ipse, cum hanc Quaestionem perustraverat, Thomam de Sutton exposuisse doctrinam prorsus alienam a doctrina praemotionis physicae, quam sententiam esse sancti Thomae Aquinatis Schola dominicana tota clamat atque propugnat. Thomas de Sutton, ait, quaestionem de motione voluntatis ex parte Dei ita solvit. Actus voluntatis effective est a Deo. Non quidem movet Deus

¹ Fr. Ehrle S. J., Thomas de Sutton, sein Leben, seine Quodlibet und seine Quaestiones disputatae (Festschrift «Georg von Hertling»). Kempten und München, 1914 — Franz Pelster S. J., Thomas von Sutton, O. Pr., ein Oxforder Verteidiger der thomistischen Lehre. [ex periodico «Zeitschrift für katholische Theologie», t. XLVI (1922), fasc. 2 et 3.]

voluntatem, ut exponitur in systemate doctrinae praemotionis physicae, sed naturae ipse Deus indidit, ut post primam volitionem finis, quae causatur a Deo, consecutive habeatur electio mediorum. Ita sequitur ad « motum gravis » descensus, positus omnibus conditionibus. Praemotio ad omnem actum singularem prorsus ignoratur, alias enim certo de ea mentionem fecisset. Solutio vero petitur ex generali motu ad finem quem Creator semel indidit naturae. Haec R. P. ¹

Operae pretium esse duximus investigare quo iure, qua causa, quo iudicio praeclarus auctor conclusionem istam protulerit. Quod sane ex ipso textu praefatae Quaestionis disputatae ponderandum est. Atque haec quidem investigatio materia est et argumentum huius elucubrationis.

Caput est praenoscere an textus quem prae manibus habemus absque ullo dubio Thomam de Sutton habeat auctorem.

Qua authenticitate invicte probata, altera quaestio praeliminaris est, an in textu illo intenderit auctor movere et solvere quaestionem de influxu causae primae in causas secundas, vel tantum quaerere quid conferant ad actum volendi moventia quaedam creata, sive intellectus, sive obiectum, sive ipsa voluntas.

Quod si non constet textum esse opus authenticum Thomae de Sutton, et appareat insuper in illo textu non exhiberi tractatus de modo speciali quo Deus movet voluntatem ad actum volendi, vana sunt omnia quae ex illo textu contra traditionem Scholae thomisticae proferuntur.

Porro, plura habentur ex quibus dubitare licet nimium huius Quaestionis disputatae Thomam de Sutton auctorem fuisse. Quibus accedit auctorem, neglecto influxu causae primae, solum disputasse de voluntate humana et contendisse voluntatem humanam nullo modo active seu effective seipsam movere ad actum volendi.

Itaque, primo exponemus rationes quae obstare videntur quo-

¹ *Fr. Pelster*, loc. cit., p. 379: « Effektiv ist der Akt von Gott, aber nicht etwa in Form einer praemotio, sondern in der Weise, daß Gott in die Natur hineingelegt hat, daß auf das erste Wollen des Zweckes, welches von Gott verursacht wird, die Wahl der Mittel als « consecutio » folgt, ähnlich wie beim « motus gravis » der Fall eintritt, sobald alle Bedingungen erfüllt sind.

Eine « praemotio ad omnem actum singularem » ist ihm völlig unbekannt, denn im andern Falle hätte er dieselbe ganz gewiß erwähnt Er sucht die Lösung in dem « generalis motus ad finem », den der Schöpfer einmal in die Natur hineingelegt hat ».

minus Thomas de Sutton huius operis auctor dicatur. Deinde illa proferemus quae demonstrant auctorem, quisquis sit, rem considerasse ex parte potentiae et motivis humanis, utrum voluntas moveatur a seipsa, vel ab alia potentia, vel ab obiecto.

I.

De huius Quaestionis auctore.

In sequentibus utimur textu qui legitur in codice Trecensi collato cum textu quem exhibet codex Ottobonianus.¹ Quid tenendum sit de contentis in codice Trecensi alibi diximus.² Addere iuvat in codice illo textum a praecedentibus quaestionibus, quarum magister Hervaeus Natalis auctor est, disiunctum esse per unam paginam cum dimidia, quae omni scriptura vacat; neque in capite huius Quaestionis, neque alibi in codice, ullum testimonium reperiri quo aliquid conferatur ad nomen auctoris detegendum.

Quae vero mentem prae aliis movent ad dubitandum praefatam disputationem magistri Thomae de Sutton opus esse, ea sunt quibus instruimur ex collatione textus

primo, cum scriptis ipsius S. Thomae Aquinatis, cuius Thomas de Sutton discipulus salutatur et defensor extitit acerrimus;

secundo, cum alio opere quod ipsi Thomae de Sutton attribuitur;

tertio, cum Quodlibetis magistri Godefridi de Fontibus.

1. Requidem vera, si praecipuae sententiae huius Quaestionis cum principiis sancti Thomae, hac in materia maioribus, componantur, statim innotescit cuius auctorem cum Angelico Doctore in nullo convenire. Quod ex sequenti tabula omnibus liquet.

Cod. Trec.

1. fol. 97^{va}: Voluntas nullo modo est actus, sed tantum potentia.

Voluntas non est actus ita quod sit principium activum sue opera-

S. Thomas Aq.

1. I-II q. 10 a. 4: Voluntas est activum principium. — Q. 22 de Verit. a. 6 ad 1: Ipsa determinat sibi suum velle. — I. q.

105 a. 4 ad 2: Moveri voluntarie

¹ Pro studiose peracta collatione gratias ago maximas R. P. Chrysostomo Egan O. P.

² Cfr. *Revue d'histoire ecclésiastique*. Louvain 1923, p. 426.

cionis, nec ita quod sit principium intrinsecum sue operacionis.

2. *Ibidem*: sequeretur quod voluntas semper haberet actum volendi.

3. fol. 99^v: Obiectum movet voluntatem quantum ad determinationem actus effective, non formaliter proprie, quia per modum efficientis.

4. fol. 98^{rb}: Voluntas aliquo modo movet se ipsam, quantum ad exercitium actus: aliquo modo, id est, non effective, nisi secundum metaphoram,

— fol. 99^{ra}: ad 1^m: Voluntas, quia passiva potencia, non movet aliquid effective de se, neque seipsam, neque aliud — ad 3^m: Voluntas sicut de se non potest movere se ipsam, ita nec de se potest movere aliam potenciam.

5. fol. 98^{va}: Voluntas potest se movere consecutive sicut ad formam gravis consequitur naturaliter motus deorsum.

6. fol. 98^{vb}: Voluntas non ducit se de potencia ad actum.

est moveri ex se, a principio intrinseco. — II Sent. dist. 39 q. 1 a. 2: Voluntas non determinari ad actum nisi ex seipsa.

2. I-II q. 9 a. 3: non sequitur quod semper seipsam moveat.

3. *Ibid.* a. 1: Obiectum movet determinando actum ad modum principii formalis, a quo in rebus naturalibus actio specificatur.

4. Q. 22 de Verit. a. 12: Movere per modum agentis voluntatis est, non intellectus. — I-II q. 9 a. 3: Voluntas movet seipsam. — I q. 80 a. . . . : Liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum. I q. 82 a. 4: Voluntas per modum agentis movet omnes animae potentias ad suos actus, praeter vires naturales vegetativae partis.

5. I q. 83 a. 1: Quaedam agunt absque iudicio, sicut lapis movetur deorsum sed homo agit iudicio.

6. I-II q. 9 a. 3: In quantum vult finem (voluntas), reducit se de potentia in actum respectu eorum quae sunt ad finem. — Ipsa movet se ipsam, reducit seipsam ad volendum.

Haec quantum inter se pugnant nemo non videt. Omnino si quidquam doctrinae S. Thomae adversatur, nihil profecto magis quam generaliora ista pronuntiata quae ex praecitata Quaestione disputata selegimus.

2. Attamen et magis de authenticitate illius textus est dubitandum, si principia ibidem inventa, ut sancti Thomae doctrinae adversantur, ita principiis allatis in alio opere quod Thomae de Sutton esse dicitur, paucis tantum exceptis, nullatenus congruere videantur. Est autem illud opus quod a Thoma de Sutton, partim contra Robertum Cowton, partim contra Scotum, conscriptum esse volunt, quodque ut summa habetur commentariorum sancti Thomae super Libro Sententiarum Petri Lombardi. Asservatur in bibliotheca Rossiana in aedibus Vaticanis, cod. IX, 121.

Ibidem autem fol. 105: *Queritur utrum voluntas sit causa effectiva sui actus.*¹ Et post adducta decem argumenta ita concludit auctor:

« Ad solutionem istorum argumentorum diligenter notandum est quod voluntas movet omnes potencias anime ad exercitium sui actus, exceptis potenciis vegetative partis, que non obediunt voluntati et rationi, et sicut movet alias potencias, ita movet seipsam

Et sicut voluntas movet visum et alias potencias ad exercitium actus, ita et se ipsam movet quoad exercitium actus; et sic quodam modo se habet effective ad causandum suum actum.

Sed ab obiecto apprehenso, et per consilium iudicato quid sit eligendum, movetur voluntas quantum ad specificationem sui actus. Et sic se habet passive respectu sui actus. »

En quidem effata quibus continetur sincera atque solida doctrina Angelici Doctoris. Revera, ita docet Angelicus: Voluntas non est potencia pure passiva, sed etiam activa. Est passiva, quantum ad specificationem sui actus, et activa quantum ad exercitium sui actus. Active movet tum se ipsam, tum alias potencias animae, solis potenciis partis vegetativae exceptis.

In responsione ad argumenta, id genus alia plura sunt digna quae ex illo opere notentur:

« Ad 3^m: Unde falsum est dicere quod voluntas nullo modo movet se, et falsum est dicere quod voluntas sola movet se, ita quod non recipiat ab alio Quod enim actus electionis sit exercitus, a mocione voluntatis est; quod autem idem actus sit talis speciei, a mocione talis obiecti est. »

« Ad 8^m: Nichil enim vult voluntas nisi ad illud a se ipsa moveatur, quantum ad exercitium actus. »

« Ad 1^m: Et similiter (sicut in intellectu) in voluntate. Ex

¹ Ut exemplum textus ad me mitteretur, benevole curavit R. P. A. Walz O. P.

hoc quod vult finem, sequitur quod velit illud quod est ad finem sic reducitur de potencia ad actum volendi. »

Cum respondet ad secundum, negat quod motus electionis sequatur voluntatem sicut ad formam gravis consequitur naturaliter motus deorsum :

« Ad secundum Et sic per voluntatem vel per mocionem voluntatis et consilium cum sententia rationis actus eleccionis est laudabilis vel vituperabilis. Sic enim non est motus naturalis sicut lapidis deorsum, sed voluntarius. Et sic actus eleccionis est in potestate voluntatis quantum ad exercitium actus. »

In responsione ad primum, docet quidem : « voluntas movet se per modum illacionis. » Attamen et tunc movet se active. Etenim, in fine responsionis ad sextum, dicitur : « Voluntas autem movet se *per modum impellentis* ad actum, *inferendo* per hoc quod vult finem quod velit illud quod est ad finem. »

Haec omnia doctrinae sancti Thomae congruunt, iis vero quae leguntur in supradicta Quaestione disputata adversantur.

Unum remanet quod a modo loquendi Angelici Doctoris discrepare videtur. Docet Angelicus obiectum movere ad modum principii formalis. Legitur autem in cod. Rossiano, *loc. cit.*, ad sextum :

« Obiectum autem movet directe voluntatem per modum agentis. Voluntas autem movet se per modum impellentis. »

At quonam sensu ita dicatur, eruitur facile ex immediate praecedentibus et ex responsione ad septimum :

« Ad sextum dicendum quod obiectum cognitum, sive sit bonum particulare, sive malum particulare, non est sufficiens de se causare velle nec nolle, sed cum sua mocione requiritur mocio voluntatis. »

« Ad septimum bonum apprehensum per intellectum non movet naturaliter et ex necessitate voluntatem quoad specificacionem actus, quia non est sufficiens motivum voluntatis etiam secundum istum modum : non enim potest movere voluntatem nisi concurrente mocione voluntatis post quam tota mocio est voluntaria et libera. »

Ex quibus concludere licet : putavit auctor obiectum movere per modum agentis, cum supervenerit intellectui impulsus voluntatis quantum ad exercitium actus.

Quae quum ita sint, quumque huius commenti super Sententiis Thomas de Sutton asseratur auctor fuisse, non parum dubitandum est *Quaestionem disputatam* ut opus eiusdem magistri recipi posse.

Sed neque hoc silentio praetereundum esse censeo, quod cum tanta sit *Quaestionem disputatam* inter et philosophiam sancti Thomae dissensio, certo certius id aegre tulissent Thomae de Sutton coetanei, Angelici Doctoris defensores, si vere Thomas de Sutton adeo de potentia voluntatis detraxisset ut nullam censuerit ipsi motionem activam esse tribuendam; quinimo totis viribus redarguissent, veramque *Doctoris communis* sententiam propugnassent. Quid enim? Novimus Bernardum de Gannaco, Claramontensem episcopum, contra Henricum Gandavensem et Godefridum de Fontibus pro Thoma Aquinate disputasse; novimus deinceps Capreolum iisdem doctoribus, necnon Scoto, strenue oppugnasse.¹ Num illi et alii, confratri Thomae de Sutton, aequis passibus a Thoma Aquinate discedenti, impune cessissent? Cui acquiescere consilio mens profecto recusat.

3. Restat ut hanc primam partem nostrae elucubrationis collatione cum scriptis magistri Godefridi de Fontibus augeamus atque compleamus. Quid de motivis voluntatis intelligat *Reverendus Doctor*, passim in suis *Quodlibetis* reperitur.² Sequentia notavimus:

Quodl. VI q. 7 (*cit. edit.*, p. 161):

« Universaliter igitur in voluntate quam in aliis dicendum est quod nichil movet se ipsum. »

Ibidem, q. 11 (p. 221):

« Et sic universaliter intellectus per se determinatur ab obiecto intelligibili, et actus appetitus ab obiecto appetibili secundum rationes causae moventis et agentis. »

Ibidem, q. 7 (p. 159):

« Non videtur esse negandum quin voluntas vere ab obiecto moveatur quantum ad actus volitionis. »

Quodl. X q. 14 (*cit. a De Wulf, Étude*, etc., p. 109):

« Respondeo dicendum quod nec voluntas nec intellectus proprie movent se, sive educunt se de potentia ad actum aliquem, sed per se moventur ab obiecto. »

Quodl. VII q. 6, *fine* (p. 348):

« Voluntas facta in actu secundum aliquod obiectum non est nata se ipsam per se facere in actum secundum aliud »

¹ Cfr. *Capreolum*, Defensiones theologicae divi Thomae Aquinatis. Edit. Paban et Pègues, t. IV, 229 et seq. Turonibus, MCMIII.

² Cfr. *M. de Wulf et J. Hoffmans*, Les Quodlibet cinq, six et sept de Godefrid de Fontaines. (Texte inédit.) Louvain 1914. — *M. de Wulf*, Étude sur la vie, les œuvres et l'influence de Godefrid de Fontaines, Bruxelles 1904.

Quodl. VI q. 7 (p. 159) :

« Dicitur quod etiam obiectum efficit ipsum actum intelligendi, alioquin intellectus non diceretur virtus passiva. Videtur posse dici hoc de voluntate sicut de intellectu . . . »

Haec omnia vero ita plane consentiunt illis sententiis quae supra e Quaestione disputata, de cuius auctore inquirimus, excerpimus, ut res explicatione non egeat. Ne miretur ergo aliquis si Capreolus de Godefrido de Fontibus scripserit : ipsum nempe posuisse haec duo, quod actus voluntatis sit effective ab obiecto et quod voluntas se habeat ad illum mere passive secundum totum compositum.¹ Sed et de multis aliis est auctoris Quaestionis disputatae cum Godefrido una sententia : Amborum cum Henrico Gandavensi conflictus, eadem apud utrumque salvandi libertatem interpretatio, idem plerumque ad argumenta opposita respondendi modus. Nescio proinde quomodo redarguendi essent si qui textum Quaestionis disputatae ad Godefridum de Fontibus pertinere vel ab ipso derivatum esse, contenderent.

Haec saltem ad serio dubitandum an Thomas de Sutton huius *Quaestionis* auctor sit, sufficiunt.

At demus hoc sane ut Thomas de Sutton huius *Quaestionis* sit auctor. Ulterius haec quaestio definienda remanet : Agiturne in illo textu de explicando modo quo Deus ut causa prima influat in voluntatem ut eligat ea quae sunt ad finem ? Hoc alterum est quod prorsus negamus. Et quae sint rationes negandi iam exponere aggredimur.

II.

Quid proprie in hac Quaestione auctor agere intendit.

Dicimus ergo in hoc textu auctorem aliam tractasse quaestionem atque illa ad quam pertinet doctrina de physica Dei praemotione. Ad quod statuendum duabus potissimum movemur rationibus, quarum altera petitur ex rei historicis adiunctis, altera vero ex ipsa littera responsionis allatae ab auctore.

1. Nullum historiae philosophiae cultorem latet, sub fine saeculi tertii decimi, magnam inter principes Scholae exstitisse controversiam quod attinet partes quas in exercendo actu volendi ferebat tum intellectus, tum ipsa voluntas. Alii contendebant non maximam tantum sed et omnem fere partem obtinere voluntatem. Quorum theoria

¹ *Capreolus*, l. c. 240^b.

nomine *Voluntarismi* appellata est. Alii e contra principatum intellectus propugnabant. Inde eis nomen *Intellectualistarum* inditum est. Quas oppositas sententias ita breviter complexus est cl. Prof. De Wulf¹ :

« (Plus) intéressante est la lutte du volontarisme et de l'intellectualisme dans ses applications au *mode d'exercice* de la volonté. On peut dire que cette (seconde) forme du volontarisme a trouvé chez Henri de Gand son initiateur, et chez Godefroid de Fontaines son adversaire irréductible. Pour Henri de Gand, la volonté n'est pas, comme l'intelligence, une faculté passive, requérant, avant de passer à l'acte, la détermination d'un objet ; elle est *simpliciter activa*, soustraite à toute influence intrinsèque de ce qui n'est pas elle, agissant d'elle même, dès que les *conditions* d'exercice sont posées. La présentation par l'intelligence d'un objet est une de ces conditions, condition « sine qua non », qui deviendra le terme de l'activité volitive ; mais cette présentation n'influe en rien sur la production de l'acte volitif

Henri de Gand professe une doctrine extrême sur le mode d'exercice de la volonté et ses rapports avec l'intelligence. Godefroid de Fontaines se réfugie dans un autre extrême. *Totalement affranchie* de la détermination intrinsèque de l'intellect, dans le système du premier, la volonté en est toujours *intrinsèquement dépendante* dans le système du second : c'est la présentation intellectuelle de l'objet qui, nécessairement ou librement, détermine la volonté à agir. »

Porro, quum in hoc statu controversia esset, patet a litigantibus magistris illis quaestionem motam fuisse de causis motivis proximis et agenti intrinsecis actus volendi, non autem de causa altissima et agenti exteriori, neque de modo quo haec ad actum voluntatis eliciendum concurrat. Rem tractant ex parte ipsius compositi agentis, non vero ex parte causae primae influentis. Huius quidem causae influxum non excludunt, sed alia vice considerandum relinquunt.

Hic enim modus procedendi et sancti Thomae erat Aquinatis. Alia quaestione investigat utrum Deus operetur in omni operante, et alia quaestione determinat quomodo voluntas moveat intellectum.²

¹ De Wulf, Etude sur la vie, etc. . . . p. 104, 108. — *It.* Histoire de la philosophie en Belgique, p. 109-110. Bruxelles (Dewit) 1910.

² Cfr. I q. 105 a. 5 et I q. 82 a. 4 ; q. 3 de Potentia a. 7 et q. 22 de Veritate a. 12.

Et iterum, solutis prius quaestionibus, utrum voluntas moveatur ab intellectu, utrum voluntas moveat se ipsam, mox inquit utrum voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio.¹

Quam methodum et ipsi discipuli sancti Thomae secuti sunt. Adducatur exempli causa Capreolus. Habita disputatione de motione obiecti intellectus quoad actus voluntatis, haec denique sunt eius postrema verba: *Qualiter autem Deus causet primum actum voluntatis dicetur post.*²

Neque ab ea via procedendi recessit Godefridus de Fontibus. Etenim quis sit modus quo Deus, causa prima, influat in voluntatem alio loco determinat, videlicet Quodl. VI q. 1. «*Deus, ait, sua virtute et influentia omnes effectus nobilius et immediatius causat quam agentia mediata et causatos etiam conservat.*»³ Quid ergo? Diceturne Godefridum hunc Dei influentis modum excludere, eo quod in Quodl. VI q. 7 et alibi, ubi sermo est de obiecto movente, specialis huius Dei moventis influxus non meminerit ullo modo? Absit profecto istud interpretandi consilium!

Sed iam videndum est in praefata Quaestione disputata rem sese non aliter habere. Quod autem quaestio iisdem finibus contineatur, intellectualismi et voluntarismi, manifestum est ex toto litterae decursu. Ex ipso titulo: Queritur utrum *voluntas* humana *moveat se ipsam* ad actum volendi. Ex viginti septem argumentis quae obiciuntur: Ipsiis concluditur, vel quod *voluntas* non movet se ipsam, vel quod movet se tum directe, tum indirecte, vel quod *voluntas* non potest movere *intellectum*, vel quod *voluntas* non movetur directe ab *intellectu*, neque ab *obiecto*, sed tantum a se ipsa, vel quod alia potentia sive *intellectus* sive *voluntas* non potest movere aliam. Nulli ergo voluntatis motivo exteriori attendit opponens. De hoc ergo non disputatur. Quod iterum patet ex responsione auctoris. Exponit «duas oppiniones solemnes magistrorum repugnantes. Una posicio dicit quod voluntas movet se quoad exercitium actus tantum, ita quod non quantum ad determinationem actus; sed movetur ab obiecto vel ab intellectu apprehendente obiectum, quantum ad determinationem actus. Alia posicio dicit quod voluntas movet se ad volendum non solum quantum ad exercitium actus, sed etiam quantum ad determinationem actus.

¹ Cfr. I-II q. 9 a. 1, 3, 4, 6.

² Capreolus, loc. cit. 250^b.

³ Godefrid de Fontaines, edit. cit. p. 107.

Et quod obiectum vel intellectus apprehendens non movet voluntatem nisi per accidens, tanquam removens prohibens, et solum sicut causa sine qua non et metaphoricè ». ¹ Prior positio, ut patet est sententia sancti Thomae Aquinatis. Altera vero opinio est solutio Henrici Gandavensis, cuius vestigia mox persequetur Scotus. Quam solutionem per longum explicat auctor, additis argumentis, quorum deinde refutationem aggreditur. Ipsa solutione remota, praemittit quod voluntas nullo modo (distinguit vero quatuor genera actuum) dici possit actus, sed oporteat pura dicatur potentia. Determinat autem quaestionem, respondendo : « Voluntas de se non movet se ad actum volendi. Igitur oportet eam moveri ab alio. Sed postquam facta est in actu potest se movere aliquo modo, sicut videbitur. » Quam solutionem explicat adhibita distinctione moventis quantum ad determinationem et moventis quantum ad exercitium actus. « Obiectum, ait, movet voluntatem quantum ad determinacionem actus. Ipsa autem voluntas aliquo modo movet se ipsam quantum ad exercitium actus ; aliquo modo, id est, non movet se effective, sed secundum quandam similitudinem et metaphoram. » His dictis, resumit praecipuam difficultatem qua movebatur Henricus Gandavensis, scilicet quomodo salvari possit libertas voluntatis, si voluntas ab obiecto movetur ; eamque difficultatem solvit adducta ratione qua utebatur contra Henricum magister Godefridus de Fontibus, uti iam diximus. Et prosequitur alia argumenta dissolvendo.

Quis non videt omnino non verti sub quaestione modus quo causa prima, Deus scilicet, influit in actum volendi ? Quid mirum igitur si quaestionem non solvit nisi attendendo causis motivis proximis, intellectui scilicet et voluntati ? Atque, si nullus habeatur sermo de physica praemotione, fas estne dicere « praemotionem ad omnem actum singularem auctorem ignorare, eo quod alias de ea non siluisset ? » De praemotione physica quidem siluit auctor, sed iure merito, quia nec de motione Dei agere intendit. Non erat causa dicendi. Sufficiebat demonstrare theoriam voluntarismi ab Henrico Gandavensi propugnatam non esse retinendam.

¹ Miramur quod in cit. edit. Godefridi de Fontibus, auctoribus cl. De Wulf et Hoffmans, legatur, Quodlib. VI, Q. 1 (p. 99), uno e locis ubi a Godefrido refertur opinio Henrici Gandavensis : « voluntas non movetur proprie ab obiecto sed indirecte et improprie, scilicet *metaphysice*, ut a causa sine qua non » ; eo vel magis, quod hanc lectionem : *metaphysice*, in tabula correctionum (p. 405) emendatam fuisse non inveniamus.

2. Attamen, visum est R. P. Pelster auctorem in solvendo quaestionem attendisse motioni divinae. Ait enim Rev. Pater : « Actus voluntatis dicitur esse effective a Deo. Non quidem praemovet quodam modo Deus voluntatem, sed naturae ipsae indidit ut post primam volitionem finis quae causatur a Deo consecutive habeatur electio mediorum, sicut ad motum gravis sequitur descensus positus omnibus conditionibus. »

Rem ex ipsa littera textus diiudicemus. Haec verba R. P. Pelster, ut patet ex locis quibus ea ex auctore adornavit, referuntur ad eam partem textus in qua auctor respondet duabus difficultatibus quae, prolata eius sententia, solvenda remanebant.

Videat ipse lector. Textum textui ex altera parte adhibeamus :

R. P. Pelster (p. 379) :

Cod. Trec. fol. 98^{rb-va}

Hoc viso, videndum est quomodo per istam distinctionem solvuntur difficultates huius questionis. Una difficultas est quomodo salvari possit libertas voluntatis si ab obiecto moveatur. Unde ad salvandum eius libertatem negant aliqui quod ab obiecto moveatur. Et vere non esset libera, si necessario moveretur statim ad volendum bonum apprehensum Verum est quod bonum perfectum quod non potest apprehendi ab intellectu sub aliqua ratione mali, ut beatitudo, que est status omnium bonorum aggregatione perfectus, movet voluntatem ex necessitate quantum ad determinationem actus, ita quod voluntas non possit velle eius oppositum ; non tamen eam totaliter movet quantum ad exercitium actus, sed movetur a Deo a quo causatur. A natura enim habet voluntas quod velit bonum perfectum cum apprehen-

fol. 32^{ra} (cod. Ottob.) dicit (auctor) quoad volitionem finis — *sagt er in bezug auf das Wollen des Ziels* — « Beatitudo . . . movet voluntatem ex necessitate quantum ad determinacionem actus ita, quod voluntas non possit velle eius oppositum, non tamen eam totaliter movet quantum ad exercicium actus, sed movetur a Deo, a quo causatur. A natura enim habet voluntas, quod velit bonum perfectum, cum apprehenditur, sicut intellectus naturaliter assentit primo principio maxime noto. » Ad hanc primam volitionem sequitur tunc « consecutive » ulterior libera electio mediorum. (*Auf dieses erste Wollen folgt dann « consecutive » die weitere freie Wahl der Mittel*).

fol. 32^{ra} « Voluntas movet se quantum ad exercicium actus, quia ad velle finem consequitur in ipsa velle id, quod est ad illum finem. » De bono, quod est medium, dicitur (*von dem bonum, das Mittel ist, wird gesagt*) fol. 31^{vb}: apprehenditur sub aliqua ratione boni et simul cum hoc apprehenditur finis, quem semper habitualiter vult voluntas, et cum actu vult illum finem « movet rationem ad deliberandum ».

ditur: sicut intellectus naturaliter assentit primo bono maxime noto. Bonum autem quod non est bonum secundum omnia que considerari possunt, non ex necessitate movebit, etiam quantum ad determinacionem actus; sed sic movet ut voluntas possit velle eius oppositum etiam dum illud apprehenditur. Verbi gracia: castitas, quia potest apprehendi ut privans alias delectaciones, non necessario movet voluntatem. Et propter hoc si quis in ea perseveret vincendo passiones concupiscencie, meretur, et sequendo eas demeretur, quia libere eas vincit vel prosequitur. Quia non sic movent voluntatem ut necessario sequatur exercicium actus, quod se tenet ex parte voluntatis.

Alia difficultas est quomodo voluntas possit se ipsam movere quoad usum actus, cum ostensum sit nichil posse movere se ipsum.

Ad quod sciendum quod aliquid posse movere se ipsum effective est impossibile. Sed aliquid bene potest se movere consecutive, sic quod ad unum eius actum consequitur alius eius actus: sicut in intellectu ad principium sequitur conclusio. Sed hoc non est effective, sed consecutive. Sicut ad formam gravis consequitur naturaliter motus deorsum, et tamen grave non movet se active, nisi secundum apparenciam; sed movetur per suam gravitatem con-

secutive. Et sic voluntas movet se quantum ad exercitium actus, quia ad velle finem consequitur in ipsa velle id quod est ad illum finem. Sic autem loquendo non est inconveniens aliquid movere seipsum. Cuius causa est, quia in tali motione non est potentia que ducatur ad actum. Et ita, quando aliquid sic movet se, non ducit se ipsum de potentia ad actum. Sicut enim in generatione ignis inter formam substantialem inductam et calorem consequentem ipsum non est potentia media que debet duci ad actum; sed generans dans formam substantialem dat calorem et alia accidentia consequentia formam. Ita etiam est in gravibus et levibus quod generans dans gravitatem dat motum consequentem, nisi impediatur. Et si impediatur, statim amoto impedimento, idem generans dat illum motum effective.

Porro, si textus auctoris comparetur cum modo citandi R. P. Pelster, quid inde constat? Experimur, ex verbis auctoris quae ad plane diversa referuntur et quae prius e propriis et distinctis locis fuerunt eruta, R. P. propria mente contexisse orationem, in qua sub uno modo movendi, quem vocat modum quo Deus movet, haec duo prorsus ab invicem distincta, coniungit: motionem qua beatitudo, seu finis ultimus naturaliter movet voluntatem quoad determinationem actus et motionem qua voluntas dicitur se ipsam movere quantum ad exercitium actus. Haec ipsa motio qua voluntas dicitur se movere consecutive, sequitur, inquit R. P., ad motionem qua voluntas movetur a beatitudine seu ultimo fine. Et hoc ipsum Deus naturae voluntatis indidit ut post primam volitionem finis seu beatitudinis consecutive eligat voluntas media ad finem. Ergo, secundum auctorem, Deus movet tantum voluntatem motione universali, non autem movet voluntatem ad omnem actum singularem exercendum.

Quid dicendum? Dicendum hanc quidem conclusionem sequi ex oratione quam sibi composuit R. P. Pelster, eam autem ex ipso textu auctoris non sequi ullo modo.

Non enim dicit auctor, ut patet legenti, voluntatem cum determinatur a fine ultimo seipsam immediate movere quoad exercitium actus. Etenim dicit voluntatem ut determinatam a fine ultimo moveri a fine ultimo quoad determinationem actus, sed non sufficienter quoad exercitium actus, ne quidem ad volendum ipsum finem ultimum. Ergo id tantum dicit, voluntatem ex sola determinatione (obiectiva) non esse in actu quoad exercitium ad volendum finem ultimum. Praeterea, non dicit ad primam volitionem finis seu beatitudinis sequi in voluntate «consecutive» electionem mediorum, sed dicit: cum voluntas est in actu quoad exercitium volendi (aliquem) finem, consecutive se movere potest ex actu quo vult illum finem ad volendum ea quae sunt ad finem.

Sed rem per partes distribuendo, videamus an eorum quae dicit R. P. Pelster aliquid cum dictis ab auctore congruere sit concedendum.

Dicit R. P. Pelster (p. 379):

Effective actus est a Deo.
(*Effectiv ist der Akt von Gott*).

Sed non eo modo quo dicitur effici in doctrina praemotionis physicae (*aber nicht etwa in Form einer praemotio*).

Sed eo modo quod naturae inditum sit a Deo, ut post primam volitionem finis quae causatur a Deo, habeatur electio mediorum tanquam consecutio (*sondern in der Weise, daß Gott in die Natur hineingelegt hat, daß auf das erste Wollen des Zweckes, welches von Gott verursacht wird, die Wahl der Mittel als «consecutio» folgt*).

Dicendum:

Haec propositio in auctore nullibi legitur. Caeterum est ambigua. Potest enim intelligi tum de actu quem dicunt actum *primum*, tum de actu quem dicunt actum *secundum*.

Hoc nullibi ab auctore in hoc textu negatur.

Dicit auctor: A natura habet voluntas quod velit perfectum bonum cum apprehenditur.

Frustra quaeruntur in auctore haec verba: Post primam volitionem finis, quae causatur a Deo, habetur electio mediorum tanquam consecutio.

Dicit vero auctor: Ad velle finem consequitur in ipsa (voluntate)

velle id quod est ad finem. Quod illud « velle finem » sit prima volitio finis (volitio scilicet beatitudinis), non dicit auctor; neque dicit illud velle finem causari a Deo. Supponit voluntatem esse in actu (quoad exercitium) respectu finis; quo motivo sit in actu, non dicit. Dicit tantum quod voluntas, cum est in actu volendi finem, potest se movere consecutive (non effective) ad volendum ea quae sunt ad finem.

Ita ad « motum gravis » sequitur descensus, positis omnibus conditionibus (*ähnlich wie beim « motus gravis » der Fall eintritt, sobald alle Bedingungen erfüllt sind*).

Dicit vero auctor: Sicut ad formam gravis consequitur naturaliter motus deorsum. Non dicit ad « motum gravis ». (Beim motus gravis tritt der Fall doch nicht mehr ein; ist er doch schon da.)

Nec dicit auctor: positis omnibus conditionibus, sed dicit: amoto impedimento.

Notandum insuper illam comparisonem adduci ab auctore, ut ostendat quomodo voluntas se moveat consecutive a volitione finis ad illud quod est ad finem. Comparatio refertur ad modum motionis, non autem ad causam seu motivum quo voluntas reducitur in actum.

Ex quibus omnibus ergo sequitur interpretationem R. P. Pelster cum dictis ab auctore non convenire.

CONCLUSIO

Hoc dicendum relinquatur: Non licet praefatae Quaestionis disputatae appellare auctorem ad arguendum doctrinam praemotionis physicae, saeculo decimo tertio vertente, discipulo immediato et de-

fensori S. Thomae Aquinatis ignotam fuisse. Etiam si certo certius esset huius operis Thomam de Sutton esse auctorem, nihil ex ipso contra traditionem Scholae dominicianae depromi posset. Etenim, utrum praeter hanc divinam impressionem qua ad finem ultimum voluntas a natura est determinata, requiratur alius divinus influxus quo voluntas ad quodcumque bonum volendum moveatur, necne, quaestio est de qua non curavit auctor. Quid ergo ex ipso contra sententiam Scholae thomisticae petitur?

Id unum addere liceat. Denuntiata canonizatione sancti Thomae, plurimae quae de ipsius doctrinae acriter movebantur disceptationes in dies sedari coeperunt.¹ Utinam cum hac felici eius canonizationis recordatione terminus imponatur controversiae qua tamdiu Molinistae a Thomistis dividuntur! Ad alia enim certamina communi consilio dirimenda iam provocant quum temporum pericula, tum progressus scientiarum augendi necessitas. Si quae vero haud novae excitentur et protrahantur discordiae, a pugna non discedent Thomistae. Ipsorum enim ius est et officium *vindicare haereditatem Patrum suorum*. (I Mach. 15, 34.)

¹ Cfr. M. Grabmann, Die Kanonisation des hl. Thomas von Aquin in ihrer Bedeutung für die Ausbreitung und Verteidigung seiner Lehre im 14. Jahrhundert, in hisce Ephemeridibus, 1923, pp. 233–249.

